INDEX LECTIONUM

QUAE AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI II

GERMANORUM IMPERATORIS BORUSSORUM REGIS

IN

ACADEMIA

THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA MONASTERIENSI

PER MENSES AESTIVOS A. MDCCCXCIV

INDE A DIE XVI MENSIS APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABEBUNTUR.

PRAEMISSA EST P. LANGENI
QUAESTIONUM AD VALERIUM FLACCUM SPECTANTIUM PART. I.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.

94.

AUCTORITATE

RECTORIS ET SENATUS

CIVIBUS ACADEMICIS S. D.

PETRUS LANGEN,

LITTERARUM LATINARUM PROFESSOR O.

Valerius Flaccus in Argonauticorum libri primi v. 130—148 describit picturas, quibus Argo, cum aedificaretur, ornata est. Atque satis aperte hoc quidem loco poeta saepe obscurus tres picturas indicavit: primam iter Thetidis in thalamos Pelei vectae v. 130—136, tum significat particula *contra* i. e. nostra lingua *als Gegenstück dazu* celebrationem nuptiarum descriptam a v. 137—139, denique verbis *parte alia* tertiam, pugnam inter Centauros Lapithasque commissam. Has tres picturas cum recte Wagner agnovisset, Koestlin in Philol. 48, 652 seq. quattuor contendit descriptas esse imagines: quomodo Thetis a Peleo, tum quomodo Galatea a Polyphemo petatur, tum nuptias feliciter celebratas Pelei et Thetidis, denique celebrationem nuptiarum Pirithoi et Hippodamiae cruenta pugna interruptam et respondere has picturas quasi omina fatis Iasonis et Medeae: petitionem Thetidis respondere ei rei, quod Iason Medeam felici cum eventu petat, ut Thetidem sic Medeam infelicem esse sponsam, frustra peti Galateam a Polyphemo ut Medeam a Stiro, denique ut celebratio nuptiarum Pirithoi et Hippodamiae turbetur, sic turbari nuptias inter Iasonem et Medeam ad Danubium celebratas (VIII, 259 seqq.). At quid ex fatis Iasonis respondeat felici celebrationi nuptiarum Pelei et Thetidis, non dicit vir doctus neque omnino

dici potest. Jam claudicat igitur tota eius disputatio. Accedit quod in verba sententiam a mente poetae prorsus alienam neque ulla ratione, ne levissima quidem, indicatam intulit: at quomodo rem gerat Valerius, si futura obscure indicare ei in animo est, documento sunt versus I, 211—226, ubi Mopsus vates deo plenus instantia Iasoni fata tangit non plane quidem aperte, sed ita tamen, ut nemini, qui ea noverit, vel minima dubitatio relinquatur. Etiam ea re refutatur sententia Koestlini de quattuor imaginibus prolata, quod v. 134 seq. et verbis et argumento tam arcte cohaerent cum eis quae antecedunt, ut divelli nequeant: Thetis enim non sola vehitur, sed comitatum quoque eius poeta describere debebat.

Alter autem error multo gravior est et latius patet, quod Wagner vituperavit v. 133 *nec Jove maiorem nasci suspirat Achillem* his verbis: 'fateor totum hunc versiculum non satis placere: poetae enim magis est, quam pictoris, qui si suspirium tristitiamque quadam oris conformatione aliquatenus, animi tamen sensa in tabula neutiquam potuit exprimere', et quod Koestlin *insperatos* v. 130 coniectura Gronovii repertum pro eo quod est in Vaticano *spe* . . . . (a manu sec. *spectes etenim*) falsum putat, cum ea tantum a poeta in describendis picturis commemorari debeant, quae sub oculos cadant. Sane non videtur offendere v. 133, quasi vero conspici posset, quomodo Thetis suspiraret, quod Achilles non maior Jove nasceretur vel nasciturus esset. At omnino satis mirari non possum, quae apud alios poetas laudentur vel tacite saltem probentur, ea non placere atque vituperari, si Valerius facit: continebo me in paucis eisdemque illustribus exemplis. Apud Homerum in nota illa descriptione clipei Achillei a Vulcano facti Il. 18, 483 seqq. inter ceteras res litem effictam esse duorum virorum in foro inter se contendentium narratur 497 seqq. In hac descriptione leguntur 499 seq.: *ὁ μὲν εὔχετο πάντ᾽ ἀποδοῦναι, δήμῳ πιφαύσκων, ὁ δ᾽ ἀναίνετο μηδὲν ἑλέσθαι.* Vultu autem et gestu id solum exprimi poterat, alterum aliquid contendere, alterum negare, sed id ipsum quod poeta dicit, quid contendatur et quid negetur, exprimi ab artifice nullo modo potest. Porro describit Homerus imaginem urbis obsessae, quae in clipeo expressa erat 509 seqq., neque vero imaginem ipsam, sed partem totius obsidionis: colloquuntur inter se obsessores et obsessi, etiam docemur quid eis placuerit, oppidani mulieribus pueris senibus urbe ad defendendum tradita ipsi hostibus insidias faciunt, speculatores

locant, greges et armenta hostium rapiunt, pugna exoritur acerrima; sic re vera non tam artificium describitur quam actio narratur, neque poeta nobis persuadere voluit, omnia, quae exponat, arte Vulcani expressa fuisse. Similiter se res habet in describenda oratione v. 541 seqq. In exponenda autem vindemiae imagine haec inveniuntur v. 569 seq. τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι πάις φόρμιγγι λιγείῃ ἱμερόεν κιθάριζε, λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν λεπταλέῃ φωνῇ: quae his verbis poeta indicavit, auribus excipiuntur, oculis conspici non possunt.

Sed satis de Homero; liceat etiam adicere Theocrit. idyll. I, 29 seqq., ubi inter artificia in poculo caelata describitur mulier pulcherrima, cuius amorem petunt duo viri, sed frustra quidem, v. 33 seqq. πὰρ δέ οἱ ἄνδρες καλὸν ἐθειράζοντες ἀμοιβαδὶς ἄλλοθεν ἄλλος νεικείουσ' ἐπέεσσι. τὰ δ' οὐ φρενὸς ἅπτεται αὐτᾶς· ἀλλ' ὅκα μὲν τῆνον ποτιδέρκεται ἄνδρα γελᾶσα, ἄλλοκα δ' αὖ ποτὶ τὸν ῥιπτεῖ νόον. οἱ δ' ὑπ' ἔρωτος δηθὰ κυλοιδιόωντες ἐτώσια μοχθίζοντι. Haec omnia ita ut a poeta narrantur, in poculo expressa esse non potuisse apparet. Sumpserunt igitur vel optimi Graecorum poetae eam sibi licentiam, ut in pictura vel alio artificio describendo divino quodam spiritu abrepti libere exspatiarentur et ad imaginem supplendam talia quoque adderent, quae animis ipsorum obversarentur satis clara et vivida, quamquam artificio aut non simul cum aliis rebus aut omnino non exprimi poterant. Quod si tenebimus, neque Valerii verba, de quibus agitur, vituperabimus aut suspecta putabimus, quae laudanda sunt et nonnullos alios locos rectius interpretabimur, quam adhuc factum est. Jam ut primum revertamur unde profecti sumus, tres fuisse diximus picturas in navi et ita quidem distributas, ut in altero latere duas fuisse poeta cogitaverit, dimidiam partem lateris utramque obtinentem: hic iter Thetidis, illic *(contra)* nuptias, in altero vero latere navis picturam pugnae omne huius lateris spatium occupantem. Neque laeditur aequabilitas distributionis impari imaginum numero, cum duae illae imagines in priore parte descriptae quasi unum efficiant ad eandemque rem spectent. Verba autem versus 140 *parte alia* scripta sunt pro *parte altera* i. e. in altero latere, cfr. I, 354 *occupat Alcides aliud mare* et ipsum dictum de altero navis latere; VII, 596 *alium* (sc. taurum) *dehinc turbida Colchis exarmat,* sunt omnino duo tauri; Lucr. IV, 685 seq. *hic odor ipse igitur, naris quicumque lacessit, est alio ut possit permitti longius alter;* V, 832 *ex alio terram status excipit alter;* Juv. sat. VI, 436 seq.

inde Maronem atque alia parte in trutina suspendit Homerum; VII, 113 seq. *hinc centum patrimonia causidicorum, parte alia solum russati pone Lacernae;* Avien. progn. 539 seq. *non spernenda tibi sunt talia, sed memor uni adde aliud semper;* orae 212 seqq. *hic insularum semet alte subrigit Vertex duarum: nominis minor indiga est, Aliam vocavit mos tenax Agonida;* Juvenc. hist. evang. I, 551 seq. *ac siquis partem palma percusserit oris Mox aliam vultus partem praebere memento;* IV, 170 seqq. *nam tunc ubi iugera laeta Infindent duo depresso sub vomere sulcis Unus correpto tolletur corpore arator Ignarusque alius vasto linquetur in agro.* Etiam Tacitus ausus est dicere haec ann. IV, 48 *igitur hostes incuria eorum comperta duo agmina parant, quorum altero populatores invaderentur, alii castra Romana appugnarent.*

In libri secundi v. 409 poeta narrat Hypsipylen Iasoni Lemno proficiscenti dono dedisse chlamydem acu pictam, cuius picturas his describit versibus 410 seqq.:

illic servati genitoris conscia sacra
pressit acu[1]) currusque pios: stant saeva paventum
agmina dantque locum; viridi[2]) circum horrida tela
silva tremit; mediis refugit pater anxius umbris.
pars et frondosae saltus[3]) expresserat Idae
inlustremque fugam pueri; mox aethere laetus
adstabat mensis: quin et Jovis armiger ipse
accipit a Phrygio iam pocula blanda ministro.

Ex his picturis una spectat ad fugam Thoantis, tribus autem fortunam Ganymedis descriptam esse contendit Wagner, qui 'tria haec' inquit 'ad Ganymedis historiam pertinentia cum fieri non potuerit ut una eademque areola exhiberentur, pro parergis et in fugam vacui Hypsipylen singulis maiorem illam picturam circumdedisse existimaverim'. Similiter locum intellexisse Burmannum apparet ex eius annotatione ad v. 415 neque aliter sensisse Dureau de Lamalle elucet ex eius interpretatione Franco-Gallica. At equidem non dubito, quin poeta solas duas imagines cogitaverit: unam fugam Thoantis, alteram raptum Ganymedis. Vel ea verba, quae in describenda priore imagine leguntur

---

[1]) *praesit a* Vat., *pressit acu* cod. Carr.; [2]) *viridis* Vat., *viridi* Barth ad Stat. Theb. V, 496; [3]) *raptus* Vat., *saltus* Eyssenhardt mus. Rhen. 17, 385.

v. 413 *mediis refugit pater anxius umbris* excedunt ea, quae ipsa pictura expressa erant; longius autem progressus est poeta in altera imagine persequenda: conspicitur aquila puerum rapiens, tum subit mentem Valerii imago eorum, quae mox secutura sint sibique temperare non potest, quin licentia poetis concessa usus ea quoque addat, quamquam non picta erant: vel ipso vocabulo *mox*, quippe quo tempus, non locus indicari soleat, doceri poterant interpretes, Valerium non cogitare de pictura iuxta vel prope alteram addita.

Tertius est locus inde a v. 416 libri quinti, quo Valerius imagines describit caelatas in foribus templi Solis, quod erat in urbe Colchorum; verba haec sunt:

nec minus hinc[1]) varia dux laetus imagine templi
ad geminas fert ora fores cunabula gentis
Colchidos hic ortusque tuens: ut prima Sesostris
intulerit rex bella Getis, ut clade suorum
territus hos Thebas patriumque reducat ad amnem,
Phasidis hos imponat agris Colchosque vocari
imperet: Arsinoen illi tepidaeque[2]) requirunt
otia laeta Phari pinguemque sine imbribus annum,
hi[3]) iam Sarmaticis permutant carbasa bracis.
barbarus in patriis sectatur montibus Aean
Phasis amore furens: pavidas iacit illa[4]) pharetras
virgineo turbata metu discursibus et iam
deficit, ac volucri victam deus alligat unda.
flebant populeae iuvenem Phaethonta sorores,
ater et Eridani trepidum globus ibat in amnem;
at iuga vix Tethys sparsumque recolligit axem
et formidantem patrios Pyroenta dolores.
aurea quin etiam praesaga Mulciber arte
vellera venturosque olim caelarat[5]) Achivos.
texitur Argoa pinus Pagasaea securi,
ipse[6]) subit nudaque vocat dux agmina dextra[7])
jamque eadem remos, eadem dea flectit habenas;
exoritur notus et toto[8]) ratis una profundo

---

[1]) *hic* Vat., *hinc* Heinsius. [2]) *trepidaeque* Vat., *tepidaeque* edit. Iunt.; [3]) *Et* Vat., *hi* Wagner; [4]) *ulla* Vat., *illa* cod. Monac. a manu sec.; [5]) *celerat* Vat., *celarat* cod. Monac.; [6]) *ipsa* Vat., *ipse* cod. Carr. [7]) versus 436 in codicibus et omnibus editionibus legitur post 437, ipse transposui, cum ex vocabulis *flectit habenas* appareat, in hoc versu iam agi de navi vehente. [8]) *torto* Vat., *toto* cod. Carr.

cernitur; Odrysio gaudebant carmine phocae.
apparent trepidi per[9]) Phasidis ostia Colchi
clamantemque procul linquens regina parentem.
urbs erat hinc contra gemino circumflua ponto,
ludus ubi et cantus[10]) taedaeque in nocte iugales
regalique toro laetus gener: ille priorem
deserit; ultrices spectant a culmine dirae.
deficit in thalamis turbataque paelice coniunx
pallam et gemmiferae donum exitiale coronae
apparat ante omnes secum dequesta labores;
munere quo patrias paelex ornatur ad aras
infelix; et iam rutilis correpta venenis
implicat igne domus. haec tum miracula Colchis
struxerat ignipotens nondum noscentibus, ille[11])
quis labor, aligeris aut quae secet anguibus auras
caede madens; odere tamen visusque reflectunt.


Ut certo interpretandi fundamento nitatur disputatio, tenendum est, non omnia debere expressa cogitari caelaturis, quae Valerius exposuit, ea vero omnia, quae re vera efficta esse verbo aliquo indicavit; tum aequabilis distributionis causa consentaneum esse parem imaginum numerum in utraque forium valva expressarum Valerium cogitasse easque aliquatenus inter se respondere debere: hoc non satis respexit Kennerknecht *zur Argonautensage* p. 16, qui novem imagines numerat atque multo minus Wagner, cuius explicationem quinque imagines distinguentis silentio praetermittere licet, illud Meynke mus. Rhen. 22, p. 365, qui duodecim esse imagines statuit, interpretes autem carminis Valeriani praeter Wagnerum ad rem de qua disputamus animum omnino non adverterunt. Atque Kennerknecht quidem expressas esse putat has imagines: historiam Sesostris, fugam Aeae, Phaethontis mortem, aedificationem navis, navigationem ipsam, Medeae fugam, nuptias Iasonis et Creusae, Medeam dona venenata parantem, Creusam flammis consumptam et Medeam fugientem. Itaque cum imparem imaginum numerum statuat, coactus est unam mente collocare supra fores quaternasque in utraque forium valva; id autem praeterquam quod incommodum videtur, ne commendatur quidem, ut infra apparebit, verbis Valerianis.

---

[9]) *per* om. Vat., add. cod. Carr.; [10]) *extantus* Vat., *et cantus* Pius; [11]) *illa* Vat., *ille* Heinsius.

Meynkius vero cum studet omnia, quae verbis poetae tanguntur, in imagines inferre, nimium conficit earum numerum: pugnam Sesostris, discessum Sesostris a Colchis, Aeae raptum, mortem Phaethontis, aedificationem navis, Argonautarum conventum, navigationem ipsam, fugam Medeae, nuptias Iasonis et Creusae, Medeam dona venenata parantem, Creusae mortem, fugam Medeae. Ex accurata versuum explicatione decem imagines apparere puto: quinas igitur poeta in utraque valva esse cogitavit. In laeva valva summa conspicitur Sesostris ut bella Getis intulerit (418 seq.), in dextra ut clade territus partem suorum Thebas reducat partem relinquat (419 seq.). Duas autem se imagines cogitasse, in quibus Sesostris conspiciatur, non unam, quod putat Kennerknecht, poeta satis clare indicavit repetita *ut* coniunctione neque minus clare non supra valvas, ut hic vir doctus contendit, sed in valvis ipsis eas effictas esse, his verbis: *ad geminas fert ora fores cunabula gentis Colchidos hic ortusque tuens.* Singula vero, quae in altera imagine describenda poeta persequitur, non omnia caelata esse poterant, vid. 421 *Colchosque vocari imperet,* tum v. 422 et 423. In laeva valva altera caelatura expressa est Aea nympha a Phaside rapta (425 seqq.) neque tam ipsa imago certo actionis momento describitur quam narratur, quomodo res tota acta sit, cfr. quae supra dicta sunt de ratione Homerica, qua imago urbis obsessae describitur. Contra in dextra valva nobis proponitur exitus Phaethontis (429 seqq.). Jam sequuntur eae res, quae ad Iasonem ipsum spectant quasque Vulcanus praesaga arte caelaverat: in laeva valva aedificatio navis et apparatio expeditionis (435 seqq.), in dextra navigatio ipsa, cfr. verba v. 438 seq. *toto ratis una profundo cernitur,* infra has in laeva fuga Medeae (440 seq.), contra, ut ipse poeta dicit, nuptiae Iasonis et Creusae (442 seqq.), denique in laeva infima parte Medea dona venenata parans (446 seqq.), ubi quod poeta dicit *ante omnes secum dequesta labores* ad imaginis descriptionem ipse addidit, in dextra mors Creusae (449 seqq.) atque in eadem tabula Medea per aera fugiens; nam hanc quoque eiusque fugam expressam fuisse aperte docemur v. 453, ubi poeta dicit, a Colchis nescientibus et mirantibus conspecta esse laborem Creusae et fugam Medeae a Vulcano expressa. Sic omnia et verbis Valerii et licentiae poetarum et aptae distributioni optime accommodata sunt atque binae imagines accuratissime inter se respondent: Sesostris bellum inferens et Sesostris exercitum reducens, aedificatio navis et navigatio ipsa, Iason Medeam secum ducens et

Iason Creusam ducens, venenum Creusae paratum et venenum Creusae missum. Sola quae sunt in secunda parte utriusque valvae, non tam arcte inter se cohaerent, sed cum Valerius, ut par erat, ex antiquissima Colchorum historia nonnulla afferre vellet neque talia omnino tradita essent, contentus erat eo ut unam rem, ab ipso, ut videtur, excogitatam traderet, quae facta esset in ea regione, ubi Aeetes regnabat, alteram sumpsit ex fabulis traditis, quae ad regis fratrem pertineret. Itaque ne in hac quidem re aequabilitatem in ceteris tam diligenter servatam a Valerio prorsus neglectam putabimus.



LECTIONES.

I. ORDINIS THEOLOGORUM.

1. Professorum ordinariorum.

IOAN. HARTMANN Dr. 1. ius ecclesiasticum docebit ter per hebd., 2. ius matrimonii tradet ter per hebd., 3. exercitationes iuris ecclesiastici moderabitur semel per hebd.

PETR. FUNCKE 1. liturgicae partem generalem docebit ter per hebd., 2. catecheticam tractabit bis per hebd., 3. exercitationes catecheticas instituet semel per hebd., 4. de vocatione et praeparatione ad statum clericalem disseret semel per hebd.

MAX. SDRALEK Dr. 1. historiam ecclesiasticam inde a reformatione enarrabit quinquies per hebd., 2. in seminario exercitationes historicas moderabitur semel per hebd.

ALOYS. SCHAEFER Dr. 1. introductionem in Novi Testamenti libros tractabit ter per hebd., 2. theologiam biblicam de incarnatione (art. II et III symb. apost.) docebit ter per hebd., 3. in seminario sodalibus epistolam ad Colossenses explicandam proponet semel per hebd.

WINAND. FELL Dr. 1. librum Genesis explicabit ter per hebd., 2. hermeneuticam sacram tractabit bis per hebd., 3. scriptores Arabicos interpretabitur semel per hebd., 4. privatim elementa linguae Hebraicae docebit bis per hebd.

IOS. MAUSBACH Dr. 1. theologiae moralis partem generalem docebit quater per hebd., 2. de symbolo apostolico disseret semel per hebd., 3. in seminario exercitationes apologeticas moderabitur semel per hebd.

IOS. POHLE Dr. lectiones postea indicabit.

2. Professorum extraordinariorum.

IOS. BAUTZ Dr. 1. apologeticae christianae partem primam tractabit bis per hebd., 2. theologiam dogmaticam de sacramentis in specie docebit quater per hebd.

FRANC. HITZE Dr. 1. quaestiones agrarias tractabit quater per hebd., 2. de rebus ad sodalitates opificum et operariorum pertinentibus disseret bis per hebd.

3. Privatim docentium.

ANT. PIEPER Dr. 1. historiam ecclesiae et pontificum Romanorum inde a saeculo XVI enarrabit ter per hebd., 2. archaeologiae christianae partem alteram docebit semel per hebd.

BERNH. DOERHOLT LIC. 1. doctrina de sacramentis ad finem perducta de rebus novissimis disseret bis per hebd., 2. doctrinam de angelis tractabit semel per hebd., 3. dogmaticae fundamentalis sive apologeticae partem primam tradet binis per hebd. horis, 4. summam theologicam S. Thomae Aquinatis interpretari perget semel per hebd.

II. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

1. Professorum ordinariorum.

GUIL. HITTORF Dr. publice physices theoriae capita selecta tractabit ter per hebd.

GUIL. STORCK Dr. publice carmina selecta poetarum, quos „Minnesänger" vocant, interpretabitur bis per hebd., privatim linguae Theotiscae saeculorum IX—XI grammaticam docebit quater per hebd., privatissime et gratis exercitationes Germanicas moderabitur semel per hebd.

PETR. LANGEN Dr. publice 1. selecta Catulli carmina interpretabitur bis per hebd., 2. in seminario philologico sodalibus ordinariis primum carminum Horatianorum librum legendum proponet eorumque scribendi disputandique

exercitationes moderabitur bis per hebd.; privatim praecepta Latine scribendi tradet quater per hebd.

IO. MATTH. STAHL Dr. publice 1. syntaxim verbi Graeci persequetur bis per hebd., 2. sodalibus seminarii philologici extraordinariis ex secundo Thucydidis libro Periclis orationem funebrem interpretandam proponet eorumque disputationibus praeerit bis per hebd., 3. eiusdem seminarii philologici sodales extraordinarios interpretandis et Graece vertendis Livii orationibus exercebit semel per hebd.; privatim Aeschyli Persas interpretabitur quater per hebd.

AUG. HOSIUS Dr. publice palaeontologiae partem alteram tractabit bis per hebd.

GID. SPICKER Dr. publice problemata metaphysica tradet bis per hebd.; privatim historiam philosophiae recentioris inde a Kantii aetate docebit quater per hebd.; privatissime disputationes philosophicas instituet semel per hebd.

BERNH. NIEHUES Dr. publice 1. historiam Romanorum pontificum M. medii aevi docebit bis per hebd.; 2. exercitationes seminarii historici moderabitur bis per hebd.; privatim historiam Graecorum inde a Solone usque ad Corinthum deletam narrabit ter per hebd.

HENR. SALKOWSKI Dr. publice de metallis disseret bis per hebd.; privatim chemiam organicam tradet quinquies per hebd.; privatissime exercitationes practicas in laboratorio chemico dirigere perget cotidie senas per horas.

GUIL. KILLING Dr. publice 1. problemata planimetrica solvenda proponet bis per hebd., 2. exercitationes seminarii mathematici moderabitur ter per hebd.; privatim 1. geometriae analyticae partem priorem docebit quater per hebd., 2. theoriam aequationum differentialium tractabit quater per hebd.

GEORG. HAGEMANN Dr. publice historiam philosophiae aevi medii docebit ter per hebd.; privatim 1. logicam et noeticam tradet quater per hebd., metaphysicam tractabit quater per hebd.

OSC. BREFELD Dr. publice demonstrationes botanicas in horto botanico instituet semel per hebd.; privatim botanicen systematicam (specialem) plantarum evolutionis historia illustratam excursionibus botanicis adiunctis docebit sexies per hebd.; privatissime et gratis disquisitiones botanicas in laboratorio botanico moderabitur ternis cotidie horis.

IOS. NORDHOFF Dr. publice aedificia et artificia Coloniensia medii atque recentioris aevi explicabit bis per hebd.; privatim historiae cultus victusque medii aevi partem alteram enarrabit ter per hebd.; privatissime et gratis exercitationes ad artes pristinas spectantes instituet semel per hebd.

EDUARD. KETTELER Dr. publice physices theoreticae elementorum partem tertiam (opticen theoreticam) exponet bis per hebd.; privatim physices experimentalis partem priorem tractabit quater per hebd.; privatissime et gratis exercitationes in laboratorio physico moderari perget bis quaternis horis per hebd.

GEORG. DE BELOW Dr. privatim historiam Europae saec. XVI narrabit bis binis horis per hebd.; privatissime et gratis exercitationes seminarii historici moderabitur semel duabus horis per hebd.

HUGO ANDRESEN Dr. publice 1. selecta linguae Provincialis monumenta interpretabitur bis per hebd., 2. in seminario Romanensi exercitationes Francogallicas instituet bis per hebd.; privatim fabulae apud Francogallos historiam enarrabit et Fontanii fabulas interpretabitur ter per hebd.

2. Professoris ordinarii honorarii.

IOS. KOENIG Dr. publice de hygieae rationibus disseret bis per hebd.; privatissime 1. exercitationes in laboratorio chemico instituti agronomici moderabitur quinquies septenis et semel quaternis horis per hebd., 2. demonstrationes practicas coniunctas cum colloquiis instituet semel per hebd.

3. Professorum extraordinariorum.

ADALB. PARMET Dr. publice de principibus philologorum, quos vocant Alexandrinorum disseret, quantamque in literarum studio diligentiam adhibuerint, examinabit ter per hebd.; privatim Taciti Agricolam interpretabitur ter per hebd.

HERM. LANDOIS Dr. publice exercitationes practicas ad zoologiam spectantes instituet bis per hebd.; privatim 1. zoologiam generalem explicabit ter per hebd., 2. de insectis disseret ter per hebd.

ARTH. MILCHHOEFER Dr. publice 1. de arce Athenarum disseret semel per hebd., 2. exercitationes archaeologicas instituet semel per hebd.; privatim mythologiam artis Graecorum docebit ter per hebd.

CHRIST. BARTHOLOMAE Dr. privatim 1. elementa grammatices Sanscritae tradet bis per hebd., 2. de Indogermanorum primordiis disseret semel per hebd.; privatissime et gratis exercitationes Sanscritas moderabitur.

RICH. LEHMANN Dr. publice de coloniis Germaniae (p. II.) disseret semel per hebd.; privatim geographiam Europae orientalis et septentrionalis tractabit quater per hebd.; privatissime et gratis exercitationes geographicas moderabitur binis per hebd. horis.

OTTO MUEGGE Dr. publice crystallographiam chemicam tractabit bis per hebd.; privatim mineralogiae partem primam docebit quater per hebd.; privatissime et gratis exercitationes et disquisitiones crystallographicas et petrographicas instituet quater per hebd.

HENR. FINKE Dr. publice 1. exercitationes historicas ad rem diplom. spectantes instituet semel binis horis per hebd.; 2. exercitationes palaeographicas moderabitur semel per hebd.; privatim 1. de re dipl. imperatorum et pontificum disseret ter per hebd., 2. historiam Europae imperio non subiectae tempore medii aevi docebit bis per hebd., 3. historiam Guestfaliae saec. XVI et XVII narrabit semel per hebd.

REINHOLD DE LILIENTHAL Dr. publice exercitationes seminarii mathematici moderabitur bis per hebd.; privatim 1. calculi differentialis et integralis partem primam docebit quater per hebd., 2. theoriam numerorum tradet quater per hebd.

GEORG. KASSNER Dr. publice toxicologiam docebit semel per hebd.; privatim chemiae pharmaceuticae partem anorganicam tractabit quater per hebd., 2. technologiae capita selecta tradet semel per hebd., privatissime in laboratorio chemico artem pharmaceutico-chemicam et analysin toxicologicam tractabit cotidie quinas per horas.

EUG. EINENKEL Dr. publice de Chauceri poetae vita et operibus disseret semel per hebd.; 2. privatim de pronunciatione linguae Anglicae hodiernae disseret semel per hebd.; privatissime et gratis sodalibus seminarii

Anglici Chauceri poetae Canterburiensium historiarum nonnullas legendas et interpretandas proponet bis per hebd.

MAGN. BIERMER Dr. publice de rei publicae constitutione et administratione aget semel per hebd.; privatim de vectigalibus disseret bis per hebd.

4. Privatim docentium.

MATTH. KAPPES Dr. publice quid Schiller et Goethe de rerum natura et de rebus humanis cogitaverint, exponet semel per hebd.; privatim 1. metaphysicam docebit quater per hebd., 2. aestheticam tractabit bis per hebd.

FRIDER. WESTHOFF Dr. publice exercitationes microscopicas instituet bis per hebd.; privatim 1. de embryologia hominis disseret ter per hebd., 2. de zoogeographia aget bis per hebd.

CAROL. HOSIUS Dr. publice exercitationes philologicas in Senecae Apocolocynthosim moderabitur semel per hebd.; privatim methodologiam epigraphicae Latinae docebit exemplaque inscriptionum tractanda proponet bis per hebd.

CAROL. DRESCHER Dr. publice historiam philologiae Germanicae docebit semel per hebd.; privatim 1. Goethei dramata explicabit semel per hebd., 2. de arte metrica recentioris aevi aget semel per hebd.

5. Lectorum academicorum.

JUL. OTTO GRIMM Dr. publice 1. exercitationes harmonicas instituet semel per hebd., 2. exercitationes cantus chorici moderabitur semel per hebd.

CAROL. DEITERS valetudine impeditus lectiones non habebit.

FRIDER. SCHMIDT publice 1. de vi et natura cantus liturgici disseret semel per hebd., 2. exercitationes cantus ecclesiastici instituet semel per hebd.

FELIX HASE publice 1. in seminario Anglico exercitationes Neoanglicas instituet bis per hebd. 2. Macaulayi historiae Britannicae caput primum quod inscribitur England before the restauration legendum et interpretandum proponet bis per hebd.

JOS. METTLICH publice 1. in seminario Romanensi exercitationes Francogallice scribendi instituet bis per hebd., 2. Augerii comoediam Le gendre de Monsieur Poirier inscriptam Francogallico sermone interpretabitur bis per hebd.

CLEM. BATHE publice exercitationes gymnasticas moderabitur bis per hebd., 2. batuendi modos docebit bis per hebd.

JOAN. MUELLER publice exercitationes delineandi et pingendi instituet binis per hebd. horis.

Disciplinarum apparatus et instituta.

Bibliotheca Paulina stato tempore patebit eiusque opes litterarum amantibus ex legum praescripto officiosissime dispensabuntur. Anagnosterium academicum ephemeridum litteratarum cognoscendarum opportunitatem intrantibus praebebit. Museum archaeologicum diebus Mercurii horis 11—1 antemeridianis patebit, hortus botanicus cotidie diebus Solis et festis exceptis.

Praeter museum archaeologicum et hortum botanicum litterarum studiosis usui erunt apparatus archaeologicus, geographicus, mathematicus et astronomicus, collectio monumentorum artis aevi medii et recentioris, museum mineralogicum et zoologicum, iustitutum botanicum, laboratorium chemicum et physicum, ad quae aditus iis horis erit quas viri quibus eorum demandata est cura constituerunt.

De exercitationibus seminarii theologici dictum est sub nominibus profess. ordin. HARTMANN, FUNCKE, SDRALEK, SCHAEFER, FELL, MAUSBACH, POHLE, de seminario philologico sub nominibus profess. ord. LANGEN et STAHL, de seminario mathematico sub nominibus profess. ord. KILLING et profess. extraord. DE LILIENTHAL, de seminario historico sub nominibus profess. ord. NIEHUES et DE BELOW, de seminario Romanensi et Anglico sub nomine profess. ordin. ANDRESEN et profess. extraord. EINENKEL, de exercitationibus chemicis sub nomine profess. ordin. SALKOWSKI et profess. extraord. KASSNER, de physicis sub nomine profess. ord. KETTELER.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Significat numerus 1. diem Lunae, 2. diem Martis, 3. diem Mercurii, 4. diem Iovis, 5. diem Veneris, 6. diem Saturni; numeri I, II, III rel. auditoria significant.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
7—8	BAUTZ P. E., theol. dogm. de sacram. in specie. (1. 2. 4. 5.) Nro. II. Idem, apolog. christ. (3. 6.) Nro. II.	STORCK P. O., gramm. Theot. (2. 3. 4. 5.) Nro. IV. Idem, exercitationes Germ. (6.) Nro. IV. KILLING P. O., aequat. different. (1. 2. 4. 5.) Nro. IX. KAPPES P. D., aesthetica (3. 6.) Nro. V. METTLICH L., exercitat. Francogall. scribendi (1. 4.) Nro. V.
8—9	FUNCKE P. O., liturgicae pars general. (1. 2. 3.) Nro. II. Idem, catechetica. (4. 5.) Nro. II. Idem, de vocat. et praep. ad statum creric. (6.) Nro. VII. HITZE P. E., de sodal. opif. et operar. (6.) Nro. VIII.	STORCK P. O., carm. poetarum lyric. (3. 6.) Nro. IV. LANGEN P. O., praec. Latine scribendi (1. 2. 4. 5.) Nro. III. HOSIUS P. O., palaeontologiae pars alt. (3. 6.) in mus. mineralog. SALKOWSKI P. O., chemia organ. (1. 2. 3. 4. 5.) in aud. chem. KILLING P. O., geometr. analyt. (1. 2. 4. 5.) Nro. IX. Idem, problem. planim. (3. 6.) Nro. IX. HAGEMANN P. O., metaphysica (1. 2. 4. 5.) Nro. VIII. Idem, logica et noetica (3.) Nro. VIII. KAPPES P. D., metaphysica (1. 2. 4. 5.) Nro. V.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
8—9		HOSIUS P. D., exercit. philol. (3.) Nro. III. METTLICH L., exercit. Francogall. loquendi (3. 6.) Nro. V.
9—10	FUNCKE P. O., exercitat. catechet. (5.) Nro. VI. MAUSBACH P. O., theol. moral. (1. 2. 3. 4.) Nro. VII. Idem, de symb. apost. (6.) Nro. VII. Idem, exercit. apolog. (5.) Nro. II. HITZE P. E., de sodal. opif. et operar. (5.) Nro. IV. PIEPER P. D., archaeologiae christ. (5.) Nro. III.	LANGEN P. O., Catulli carmina (1. 4.) Nro. III. Idem, semin. philol. (2. 5.) Nro. I. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chem. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) HAGEMANN P. O., logica et noetica (1. 2. 6.) Nro. VIII. Idem, historia philosophiae (3. 4. 5.) Nro. VIII. BREFELD P. O., disquisit. botan. in laboratorio botan. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) KOENIG P. O. H., exercitationes in laboratorio chem. inst. agr. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) PARMET P. E., princip. philologorum Alexandr. (1. 3. 4.) Nro. I. LEHMANN P. E., geogr. Europae oriental. et septentrional. (2. 3. 5. 6.) in aud. geogr. FINKE P. E., hist. Europae imperio non subiectae tempore medii aevi (1. 4.) Nro. IV. KASSNER P. E., toxicologia (1.) in aud. chem. II. Idem, chemiae pharmac. anorgan. (2. 3. 4. 5.) in aud. chem. II. KAPPES P. D., quid Schiller et Goethe de rerum nat. et de rebus human. cogitaverint (5.) Nro. VII. HOSIUS P. D., epigraph. lat. (3. 6.) Nro. III.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
10—11	HARTMANN P. O., ius ecclesiasticum (1.2.3.) Nro. II. Idem, ius matrimonii (4. 5. 6.) Nro. II. FELL P. O., explicatio libri Genesis. (2. 4. 6.) Nro. VII. Idem, exercit. Arabicae (3.) (domi).	SPICKER P. O., metaphysica (3. 6). Nro. VIII. NIEHUES P. O., historia Graec. (4. 5. 6.) Nro. III. Idem, historia pontif. M. aevi medii (2. 3.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chem. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) BREFELD P. O., disquisit. botan. in laboratorio botan. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) NORDHOFF P. O., exercitationes ad artes pristinas spectantes (3.) in aud. coll. monum. artis. ANDRESEN P. O., historia fabulae apud Francogall. (2. 4. 5.) Nro. V. Idem, selecta linguae Provinc. monumenta (3.) Nro. V. KOENIG P. O. H., exercitationes in laboratorio chem. inst. agr. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) PARMET P. E., Taciti Agricol. (1. 2. 3.) Nro. I. LANDOIS P. E., zoolog. general. (1. 3. 5.) in aud. zoolog. MILCHHOEFER P. E., mythologia artis Graec. (2. 4. 5.) in mus. et apparatu archaeol. Idem, de arce Athenarum (6.) in apparatu archaeol. Idem, exercitationes archaeol. (3.) in apparatu archaeol. LEHMANN P. E., de coloniis German. (1.) in aud. geogr.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
10—11		FINKE P. E., de re diplom. imp. et pontif. (1. 2. 3.) Nro. IV. KASSNER P. E., technologiae cap. selecta (3.) in aud. chem. II.
11—12	HARTMANN P. O., exercit. iur eccles. (6.) Nro. II. SCHAEFER P. O., introd. in N. T. libros (2. 4. 6.) Nro. VIII. Idem, theologia bibl. de incarn. (1. 3. 5.) Nro. VIII. DOERHOLT P. D., apolog. christ. (1. 5.) Nro. II. Idem, Summa theol. S. Thomae Aquin. (3.) Nro. IV.	STAHL P. O., syntax. verbi (2. 5.) Nro. IV. Idem, semin. philol. (1. 4.) Nro. I. SPICKER P. O., historia philos. (3. 6.) Nro. II et Nro. I. NIEHUES P. O., semin. histor. (4.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chem. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) BREFELD P. O., disquisit botan. in laboratorio botan. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) NORDHOFF P. O., aedif. et artif. Colon. (5. 6.) Nro. VII. Idem, historia cultus victusque medii aevi (2. 3. 4.) Nro. VII. KETTELER P. O., physices theoret. elementorum p. III. (optice) (3. 6.) in aud. phys. Idem, physices experiment. p. I. (1. 2. 4. 5.) in aud. phys. ANDRESEN P. O., selecta linguae Provinc. monumenta (3.) Nro. V. KOENIG P. O. H., exercitationes in laboratorio chem. inst. agr. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) Idem, de hygieae rationibus (3. 6.) Nro. V.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
11—12		EINENKEL P. E., de Chauceri vita et oper. (5.) Nro. V. WESTHOFF P. D., de embryologia hominis (2. 3. 6.) in aud. zool.
12—1	SDRALEK P. O., historia eccles. (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. VII. Idem, seminar. histor. (6.) Nro. VII. SCHAEFER P. O., semin. exeg. (6.) Nro. VI.	STAHL P. O., Aeschyli Pers. (1. 2. 4. 5.) Nro. IV. Idem, semin. philol. (3.) Nro. I. SPICKER P. O., historia philos. (3. 6.) Nro. II. NIEHUES P. O., seminar. hist. (4.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chem. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) Idem, de metallis (2. 4.) in aud. chem. BREFELD P. O., demonstrationes botan. (3.) Idem, disquisit. botan. in laboratorio botan. (1. 2. 4. 5. 6.) KOENIG P. O. H., exercitationes in laboratorio chem. inst. agr. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) BARTHOLOMAE P. E., Indogerm. primordia (6.) Nro. I. Idem, elementa gramm. Sanscrit. (4. 5) Nro. I. MUEGGE P. E., mineralogiae p. I. (1. 3. 5. 6.) in mus. mineralog. FINKE P. E., historia Guestfaliae saec. XVI et XVII (6.) Nro. I. DE LILIENTHAL P. E., calculi different. et integral. p. I. (1. 2. 4. 5.) Nro. IX.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
12—1		EINENKEL P. E., de pronunc. linguae Angl. (5.) Nro. V. WESTHOFF P. D., zoogeographia (3. 6.) in aud. zool.
2—3		KASSNER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae in laboratorio chem. (1. 2. 3. 4. 5.)
3—4	PIEPER P. D., historia ecclesiae et pontificum (1. 3. 5.) Nro. I. DOERHOLT P. D., de sacramentis et de novissimis rebus (3. 5.) Nro. II. Idem, de angelis (1.) Nro. II.	SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chem. (1. 2. 3. 4. 5.) KILLING P. O., seminar. math. (3.) Nro. IX. BREFELD P. O., excursiones botan. (6.) KOENIG P. O. H., exercitationes in laboratorio chem. inst. agr. (1. 2. 3. 4. 5.) LANDOIS P. E., exercit. practic. ad zoolog. spectantes (3.) in mus. zool. MUEGGE P. E., exercit. mineral. et petrograph. (1. 4.) in mus. mineralog. KASSNER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae in laboratorio chem. (1. 2. 3. 4. 5.) WESTHOFF P. D., exercitationes microscop. (3.) in mus. zoolog.
4—5	FELL P. O., hermeneutica sacra (1. 4.) Nro. VII. Idem, elementa linguae Hebr. (2. 5.) Nro. II.	SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chem. (1. 2. 3. 4. 5.) KILLING P. O., seminar. math. (3.) Nro. IX. BREFELD P. O., excursiones botan. (6.)

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
4—5	HITZE P. E., quaest. agrariae (2. 3. 4. 5.) Nro. VIII.	KOENIG P. O. H., exercitationes in laboratorio chem. inst. agr. (1. 2. 3. 4. 5.) LANDOIS P. E., exercitat. practic ad zoolog. spectantes (3.) in mus. zoolog. MUEGGE P. E., exercit. mineral. et petrograph. (1. 4.) in mus. mineralog. FINKE P. E., exercit. palaeograph. (2.) in semin. hist. aud. DE LILIENTHAL P. E., exercitat. seminar. mathem. (2. 5.) Nro. IX. KASSNER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae in laboratorio chem. (1. 2. 3. 4. 5.) BIERMER P. E., de vectigalibus (1. 5.) Nro. III. Idem, de rei publicae constitutione et administr. (3.) Nro. III. WESTHOFF P. D., exercit. microscop. (3.) in mus. zool. DRESCHER P. D., historia philologiae Germ. (4.) Nro. IV.
5—6		SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chem. (1. 2. 3. 4. 5.) KILLING P. O., seminar. math. (3.) Nro. IX. BREFELD P. O., excursiones botan. (6.) DE BELOW P. O., historia Europae saec. XVI (2. 5.) Nro. I. Idem, seminar. histor. (3.) in aud. seminarii hist.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
5—6		ANDRESEN P. O., exercitationes Francog. in semin. Roman. (2.). KOENIG P. O. H., exercitationes in laboratorio chem. inst. agr. (1. 2. 3. 4. 5.) LEHMANN P. E., exercitationes geogr. (1.) in aud. geogr. MUEGGE P. E., crystallogr. chemic. (1. 4.) in mus. mineralog. FINKE P. E., exercit. hist. ad rem diplomaticam spectantes (6.) in semin. hist. DE LILIENTHAL P. E., theoria numerorum (1. 2. 4. 5.) Nro. IX. KASSNER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae in laboratorio chem. (1. 2. 3. 4. 5.) EINENKEL P. E., exercit. in semin. Angl. (5.) Nro. V. DRESCHER P. D., ars metrica recent. aevi (4.) Nro. IV. Idem, Goethei dramata (1.) Nro. IV. HASE L., exercit. in semin. Angl. (1.)
6—7		BREFELD P. O., botan. systematica (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. IX. DE BELOW P. O., historia Europae saec. XVI (2. 5.) Nro. I. Idem, semin. histor. (3.) in aud. seminarii hist. ANDRESEN P. O., exercitationes Francog. in seminario Roman. (2.)

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
6—7		KOENIG P. O. H., demonstrationes practic. in laboratorio chem. inst. agr. atque colloq. (4.) LEHMANN P. E., exercitationes geogr. (1.) in aud. geogr. FINKE P. E., exercit. hist. ad rem diplomaticam spectantes (6.) in semin. hist. KASSNER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae in laboratorio chem. (1. 2. 3. 4. 5.) EINENKEL P. E., exercit. in semin. Angl. (5.) Nro. V. HASE L., exercit. in semin. Angl. (1.)



HORIS POSTEA INDICANDIS.

HITTORF P. O., physices theor. cap. selecta.

SPICKER P. O., disputationes philos.

GRIMM L., exercit. harmon.

Idem, exercit. cantus chorici.

SCHMIDT L., de vi et natura cantus liturg.

Idem, exercit. cantus eccles.

HASE L., Macaulayi historia Britannica.

BATHE, exercitationes gymnasticae.

Idem, de batuendi modis.

MUELLER, exercitationes delineandi et pingendi.